

dar quattrini a interesse. Hæc omnia totidem verbis docet Calvinista Salmafius, quem nunquam se legisse testatur Author noster. Lege quæ ex Salmasio supra cap. 4. §. 4. rescripta sunt.

VIII. Locantur pecuniæ non secus ac fundi, domus, artisque instrumenta? Ecceur ergo non locantur pecuniæ pauperibus pacto pretio? Quæ lex vetat locare pauperibus domos agros, artis instrumenta, mercede constituta? Cur ergo. Si, quoties homines lucrum ex tradita pecunia alteri volunt, pecunias locant, sublata de mundo usura est. Quid ad hæc? Usura, inquis est, dum pretium immoderatum, & excedens est. At pretii excessus in quolibet contractu emptionis, venditionis, census &c. occurrere potest, peccatumque constituit injustitiæ, non usuræ. Usura autem peccatum est speciale. Præterea, si lucrum in pecuniæ locatione, dum moderatum est, honestum & justum habetur, æque a pauperibus, ac a divitibus exigere jure poterit. Aut ergo sceneratores dicendi sunt, qui pauperibus locant domos, agros, artisque instrumenta accepto pretio: aut sceneratores non sunt, qui ex locata pauperibus pecunia lucrum capiunt. Urget, inquis, charitatis præceptum succurrendi pauperibus. Verum habet. At non minus lex urget iisdem providendi aliquibus in casibus gratuita domi, agri, instrumentorum, ac pecuniarum concessione. Verum hæc obiter dicta sunt. In præsentia quippe systema Authoris Itali propriis illius verbis exponimus; ut ex sola expositione pateat evidenter, istius de scenore doctrinam ne latum quidem unguem differre a doctrina Calvinii, Molinæ, Salmasii, cæterorumque ejusdem furfuris Doctorum.

IX. Transcribenda nunc sunt alia Authoris nostri verba, quibus nimis licenter ait mutatam esse in Romana Ecclesia de scenore doctrinam. Pag. 213. *Qui opportuna occasione abbi apportato a questa materia il supposto, che ne' prossimi secoli ( XIII. & seqq. ) generalmente*

*prese piede, del non potersi ricavar nulla in virtù del contratto, cui si affisse il nome di mucuo; e il non essersi però quelli, che andavano succedendo, fatti a esaminare il fondo di tal supposizione. Impervium aperire arcanum, spissasque dispellere tenebras istas Authori nostro, semper nova & pulchra promenti, reservatum erat. Sed ille iterum loquatur lib. 3. pag. 217. Quanto mai si allontanata in questo proposito il pensare, e il ragionare in questa materia de' Moderni (nempe Thomæ, Bonaventuræ, Raymundi, Alberti, Scoti, Antonini, Bernardini, Caroli Borromæi, omniumque Doctorum a sæcul. XIII. ad hæc usque tempora) da quello degli antichi. Degli antichi Padri, i quali tanto declamarono contro l'usure, nè pur uno si trova, che di veruna delle ragioni modernamente speculate menzion facesse. Niun di loro mai parlò della pecunia sterile, niun della traslazione del dominio, niuno dell'uso immedesimo con la cosa, non della forza del Mutuo, non d'Eretici, nè di lor dottrina. La ragione decantata da' SS. Padri è SEMPRE quella delle lagrime de' miseri, del distrugger le famiglie, e del ridurre a mendicizia, che facea in que' tempi l'usura. All'incontro i Moderni questo punto non toccan mai, nè toccare il potrebbero, per. b. secondo i nostri principj, se il frutto ha da esser lecito, beneficio, e non danno ha sempre da recarsi al prossimo. Or chi non vuole alla palese verità far contrasto, dovrà pur confessare, che adunque, NON DELLA COSA MEDESIMA PARLAVANO QUELLI, E QUESTI, MA DI MOLTO DIVERSA; e che da qualche ambiguo detto de' Santi Padri, non può dunque mai riferirsi a quello, che al presente si controverte. Ognuno vede, che gli argomenti moderni escludono anche i pro moderati, e giovevoli; dove il motivo de' Padri ferisce UNICAMENTE LE USURE INGORDE, E NOCIVE: secus usuras moderatas, quas proventus vocitat.*

X. Tria hic gravi animadversioe digna occurrunt. Primum compertum, exploratumque est, Authorem hunc Romanæ Ecclesiæ mutationis maculam super

super hoc de usura dogmate, & præcepto impingere. Nec reponas, junioribus Doctoribus, non Ecclesiæ mutationis notam affingi: quoniam puerile nimis, ineptumque effugium est. Cedo. Qui sunt hi juniores? Sunt omnes Theologi, omnes sancti Doctores Ecclesiæ Romanæ octo seculorum, a Petro nempe Lombardo ad hæc usque tempora. Sunt omnia Concilia, omnes synodi, omnes Episcopi. Si omnes priorum seculorum Doctores ab Apostolica doctrina descivissent, non ne Ecclesia ipsa aberrasset a vera doctrina? Si omnes posteriorum ætatum Pastores, Doctoresque novam super uno dogmate invexerunt doctrinam, a Summis Pontificibus probatam, Ecclesiam ipsam mutationi obnoxiam esse necessum est. Quod si in hoc, quidni, & in alio quocumque dogmate mutare doctrinam non potuit? Quanam ex hoc solo capite censura plectendum sit opus inscriptum: *Dell'impiego del danaro*, illorum, ad quos pertinet, judicium esto. Alterum ponderatione dignum, illud est: quod Author iste luce meridiana clarius propugnet usuras moderatas, quas aliquando honestos vocitat proventus, & redditus. Et hanc doctrinam erroneam a capite ad calcem in toto suo opere defendit. Tertium animadversioe dignissimum est, tam evidenter fal-

sum esse antiquos Patres solas usuras mordentes, & opprimentes detestari, ut non modo Catholici Doctores omnes nobis proximiores, sed vel ipsi Hæretici oppositum asserant, ut infra, adductis illorum verbis, demonstrabo. Illud me tandem stupore defixum tenet; nimirum, Virum laicum proprio Episcopo, & Clero, & omnibus octo circiter seculorum Ecclesiæ Romanæ Theologis in istius gravissimi dogmatis expositione se se palam opponere ausum fuisse. Porro quod omnes Ecclesiæ Romanæ Theologi quamlibet usuram detestentur, sive parvam, sive magnam, & a quocumque perceptam, definivit Summus Pontifex feliciter regnans verbis clarioribus, quam ut cavillari quis possit. Hæc serio a nonnullis perpendi velim, qui minus in hac causa versati, & partium studio plus justo addisti doctrinam Ecclesiæ opinionem appellant Scholasticorum, ac si Petrus Lombardus, Raymundus, Thomas, Bonaventura, Halensis, cæteraque Theologiæ lumina doctrinam Patrum, & Ecclesiæ ignorassent: ipsaque Ecclesia ignoranter doctrinam Thomæ, Bonaventuræ, aliorumque Sanctorum subinde commendasset; eamque in suis Conciliis, ubi de usura sermo est, turpiter approbasset.

## CAPUT VIII.

## TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

- » Cum hæc ita sint, adprobamus, & confirmamus quæcumque  
 » in sententiis superius expositis continentur: cum Scriptores  
 » plane omnes Theologiæ, & Canonum Professores, plura  
 » Sacrarum Litterarum testimonia, Pontificum Decessorum no-  
 » strorum Decreta, Conciliorum, & Patrum Autoritas ad  
 » easdem sententias comprobandas pene conspirare videantur.

## §. I.

*Recensentur Scripturarum Testimonia, quæ omnem usuram sive parvam, sive magnam, sive a divitibus, sive a pauperibus exactam improbant.*

I. **N**ec temporis angustia, nec instituti ratio permittunt, ut propositum argumentum pro dignitate discutiam. Pauca tum Scripturarum, tum Conciliorum, tum Patrum documenta indicabo, ne Interpretis muneri omnino deesse videar. Accedit, quod Viri gravissimi hanc strene spartam ornarunt. Quare, ne actum agam, aliqua dumtaxat Scripturarum testimonia producam, ut palam fiat, quam verum sit Pontificum oraculum; nempe ea omnia, quæ in apostolica sententia continentur, sancto Dei Verbo, Patribus, Conciliis, & sacris Canonibus esse quam maxime consentanea. Ad rem igitur.

## §. II.

## EX LIBRO EXODI

*Cap. 22. v. 25.*

II. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.

III. Vox pauperis, exempli loco ponitur, non restringenda legis causa.

Si cavillari contendunt Adversarii vocem illam pauperis, accipiendam nempe esse secundum puram Vulgatæ literam; ut sibi consent, dicere etiam coguntur a paupere tantum Judæo accipere usuram vetitum esse, secus a paupere extraneo. Hoc autem vel ipsi fatentur iniquum. Hic ergo primus legis textus junctus aliis accipiendus est, & omnes simul, secundum Ecclesiæ Catholicæ interpretationem, perpetuamque traditionem interpretandi sunt; qua sublata, nihil certi statui deinceps poterit. Heinc colligas velim, Authorem Italum, cum suo Nicolao Brodersen, pleno ore fateri, se usuras moderatas, ab omnibus hactenus Catholicis improbatas, propugnare his verbis: *Ribatteffo l'Asserzione di Natale Alessandro: omnes usuras erga omnes vetari: e la sua stravaganza, che i poveri nella Scrittura sieno nominati solamente per modo di esempio.* Duo ergo, erudite Scriptor, in Natali improbas: Unum, omnes usuras erga omnes vetari. Ergo tu errorem oppositum, nempe aliquas usuras erga aliquos approbari, defendis. Alterum, quod pauper exempli gratia in laudato textu collocetur. Sed audi Grotium ipsum in Exod. c. 22. *Vox pauperis hic non restringit legem, sed exempli causa posita est; quia plerumque ita accidit, ut illi magis egeant opis alienæ.* Cajetanum etiam audi in hunc locum, ubi ad vocem pauperi sic habet: *Præsertim pauperi. Quid quod omnes Catholici hoc idem docent? Et doctrinam Catholicorum*

corum omnium, Natalis Alexandri peregrinum commentum, STRAVAGANZA, appellare audes?

## §. III.

## EX LEVITICO

*Cap. 25. v. 35.*

IV. Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum, quasi advenam, & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Time Deum, ut possit vivere frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Egypti, ut darem vobis terram Chanaan, & essem Deus vester.

V. Hic quoque de paupere sermo est, quod pauperes ii sint, qui communius, frequentiusque usuras solvant. Divites enim, excepto aliquo raro, & inopinato eventu, scænebrem pecuniam non accipiunt. Quare Moyses legem rogans, exemplum legi inserit, quod sub oculos omnium frequenter cadit. At non propterea respectu divitum licitas usuras asserit. Quemadmodum pauperes communiter opprimi Scriptura vetat. Heinc ne inferri potest, licitam esse divitum oppressionem? Sapientis legislatoris est in suis rogandis legibus eam scribendi rationem usurpare, quæ accomodatior est populari intelligentiæ.

## §. IV.

## EX DEUTERONOMIO

*Cap. 23. v. 19.*

VI. Non scenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, non fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id, quo indiget commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus in omni opere tuo in terra, ad quam ingredieris possidendam.

VII. Nulla hic pauperis mentio. Generalis lex est. Falleris, inquiunt. Quid

produunt hæc verba? *Id quo indiget.* Indigentem, pauperem, egenum. Nimum crassa, & vana interpretatio. Soli ne egeni mutuo indigent? An non divites, an non mercatores etiam opulentes interdum scænebri pecunia egent? Cujuscumque conditionis homines mutuo interdum opus habere solent. An non rationi repugnat, quod illi mutuo des pecuniam, qui nihilo eget? Dandum mutuo est fratri nostro indigenti, quicumque ille sit. Cedo. An dives, an mercator frater noster non est? Si nomine fratris pauper tantum intelligendus foret, duo sequerentur absurdum, quæ nec ipsi Adversarii admittunt. Primum, quod pauperi alieno scenerari licitum esset. Alterum, quod a fratre Judæo divite, Judæus usuram exigere jure potuisset. Quæ duo & oppositores detestantur.

VIII. Quod alteram textus partem spectat, nempe *sed alieno*, duæ sunt interpretationes. Altera S. Ambrosii lib. de Tob. c. 15. *Sed forte dices, quia scriptum est alienigenæ scenerabis: & non consideras quid Evangelium dicat, quod est plenius: sed hoc interim sequestremus: legis ipsius verba considera: Fratri tuo, inquit, non scenerabis ad usuram: sed ab alienigena exiges. Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrbæus, nisi hostes? Ibi inquit usuras exige, cui merito nocere desideras: cui jure inferuntur arma, huic legitime indicuntur usurae. Quem bello non potes facile vincere, de hoc cito potes centesimo te vindicare.* Sedes, agros, bonaque omnia Deus, ut supremus Dominus, ab Amorrhæis, Amalecitis, aliisque vicinioribus populis abstulerat, & Judæis donaverat. Dum ab his lucrum scænebre percipiebant Judæi, nullam violabant justitiam. Quod suum erat, repetebant. Quod Deus terræ hujus supremus sit Dominus, valeatque pro suo arbitrio cuicumque sibi placuerit, donare, quis est, qui velit inficiari? Nemo vero, præter unum Deum, hoc absoluto jure potitur. Altera explicatio est, eam legem permittentem esse, & tolerantem populum pervicacem, & ad

ad malitiam pronum, secus adproban-  
tem. Hanc amplectitur S. Thomas 2.  
2. q. 78. a. 1. ad 1. *Judæis prohibitum  
fuit accipere usuram a fratribus suis,  
scilicet Judæis. Per quod datur intelligi,  
quod accipere usuram a quocumque homi-  
ne est simpliciter malum. Debemus enim  
omnem hominem habere quasi proximum,  
& fratrem, præcipue in statu Evangelii,  
ad quod omnes vocantur. Unde in Psalm.  
14. absolute dicitur: Qui pecuniam suam  
non dedit ad usuram. Et Ezech. 18.  
Qui usuram non accipit. Quod autem  
ab extraneis usuram acciperent, non fuit  
eis concessum quasi licitum, sed permissum  
ad majus malum vitandum. Utraque  
interpretatio probabilis est. Secunda  
mihi arridet magis.*

IX. Quæ Nicolaus Broedersen lib. 3.  
cap. 23. & 24. consarcinat, ut hunc  
sacrum Scripturæ textum de more im-  
plicet, & involvat, prætereo. Pauca  
infra dicam, quibus demonstrabo al-  
terutrum ab eo præstandum necessario  
fore; nempe aut renuntiandum Eccle-  
siæ Catholicæ, aut subscribendum Ec-  
clesiæ interpretationi, quæ illa est,  
quam dedi. Solus transcriptus S. Tho-  
mæ textus evincit, quam sint mirabi-  
les Broedersiani, qui a se stare S. Tho-  
mam scribere non erubescunt.

## §. V.

## EX PSALMO 14.

X. Domine quis habitabit in Taberna-  
culo tuo? Aut quis requiescet in monte  
sancto tuo? Qui ingreditur sine macula,  
& operatur justitiam.... Qui jurat pro-  
ximo suo, & non decipit; qui pecuniam  
suam non dedit ad usuram.

XI. Ubi hic pauperis, ubi divitis,  
ubi attenuati mentio? Festiva sunt  
quæ de more cumulat Broedersen, cum  
suo Interprete Italo, in hunc textum  
lib. 3. cap. 31. Præmiserat cap. 28. ex  
generali sacre Scripturæ expressione,  
affirmante, vel negante, non semper  
solide probari aliquid præcipi, vel  
prohiberi. Esto. Sed exceptionis, &  
restrictionis solida perhibenda ratio est.

Nullam autem restringendi Davidici  
textus rationem adfert novus hic usu-  
rarum Patronus. Sed misso Broedersen,  
quæ subdit Regius Psaltes Psalm. 54.  
rescribo.

XII. Vidi iniquitatem, & contradic-  
tionem in Civitate. Dies, ac nocte circumda-  
bit eam super muros ejus iniquitas, &  
labor in medio ejus, & injustitia, & non  
defecit de plateis ejus usura, & dolus.

XIII. Usuram hic cum injustitia, do-  
lis, & fraudibus comparat Rex David.  
Licita ne fraus cum divite, secus cum  
paupere? Injustitia ne exercenda cum  
opulente mercatore, secus cum ege-  
no? Magis luculenta hæc sunt, quam  
ut ea Viro, quantumvis sophistæ, con-  
vincendo in contentionem revocare o-  
porteat. Repetit David. 71. *Ex usuris,  
& iniquitate redimet animas eorum. En  
iterum usuras iniquitati æquatas.*

## §. VI.

## EX PROPHETA EZECHIELE

Cap. 18. v. 22.

XIV. Vir, si fuerit justus, & fecerit  
judicium, & justitiam, in montibus non  
confederit, & oculos suos non levaverit ad  
idola domus Israel, & uxorem proximi  
sui non violaverit, & ad mulierem men-  
struatam non accesserit, & hominem non  
contristaverit, pignus debitori reddiderit,  
per vim nihil rapuerit, panem suum esu-  
rienti dederit, & nudum operuerit vesti-  
mento, AD USURAM NON COM-  
MODAVERIT, ET AMPLIUS NON  
ACCEPERIT, ab iniquitate averterit  
manum suam, & judicium verum fecerit  
inter virum, & virum, in præceptis meis  
ambulaverit, & judicia mea custodierit,  
ut faciat veritatem: Hic justus est, vi-  
ta vivet, ait Dominus Deus.

XV. Quærimus ab Adversariis abso-  
lute ne, an cum exceptione, seu li-  
mitatione intelligendus hic textus sit?  
Si cum exceptione, nempe respectu  
pauperis, non divitis, vel de usura de-  
vorante, secus de moderata, hac ea-  
dem limitatione interpretanda erunt  
alia, quæ in textu recensentur: & sic  
dicitur

dicemus, justum illum esse, qui fece-  
rit judicium verum inter virum pau-  
perem, secus inter virum divitem: qui  
uxorem proximi sui non violaverit, &  
injuriam non fecerit marito pauperi:  
qui per vim non rapuerit pauperi,  
rapuerit licet diviti &c. Quid? Deli-  
ria hæc sunt, inquis. Audio. Sed cur  
cætera omnia, quæ in textu numeran-  
tur, absolute intelligenda sunt, sola  
vero hæc particula: *Ad usuram non com-  
modaverit, & amplius non acceperit,* cum  
limitatione interpretanda erit?

XVI. Sed pergamus rescribere Tex-  
tum sanctum. Sic autem persequitur  
Propheta: *Quod si genuerit filium latro-  
nem effundentem sanguinem, & fecerit  
UNUM DE ISTIS, & hæc quidem  
OMNIA non facientem, sed in montibus  
comedentem, & uxorem proximi sui pol-  
luentem, EGENUM, ET PAUPEREM  
CONTRISTANTEM, rapientem rapi-  
nas, pignus non reddentem, & ad Idola  
levantem oculos, abominationem facien-  
tem, AD USURAM DANTEM, ET  
AMPLIUS ACCIPIENTEM, numquid  
vivet? Non vivet. Cum UNIVERSA  
hæc detestanda fecerit, morte morietur.*

XVII. Tandem e contrario conclu-  
dit. *Quod si genuerit filium, qui videns  
omnia peccata Patris sui, quæ fecit, ti-  
muerit, & non fecerit simile eis, super  
montes non comederit, & oculos suos non  
levaverit ad Idola domus Israel, & uxo-  
rem proximi sui non violaverit, & virum  
non contristaverit, panem suum esurienti  
dederit, & nudum operuerit vestimento,  
A PAUPERIS injuria averterit manum  
suam, USURAM, ET SUPERABUN-  
DANTIAM NON ACCEPERIT, ju-  
dicia mea fecerit, in præceptis meis am-  
bulaverit: hic non morietur in iniquitate  
Patris sui, sed vita vivet.*

XVIII. Nulla heinc evadendi rima.  
Non semel, sed bis, & ter Deus di-  
stinguit usuram a pauperum oppressio-  
ne, & injuria. Aliud est pauperem,  
egenumve contristare, opprimere, aliud  
rapinas exercere: aliud pignus non  
reddere: aliud panem esurienti non  
dare: aliud nudum non operire: aliud  
proximi uxorem violare: aliud tandem

usuram, & superabundantiam exigere.  
Qui, clamat Propheta, FECERIT U-  
NUM DE ISTIS, morte morietur.  
Dicant usurarum Patroni. Excusabitur  
ne Idololatra, quod uxorem proximi  
non violaverit; aut Adulter, quod Ido-  
lis non sacrificaverit? Cur ergo fœne-  
rator excusabitur propter quod paupe-  
rem, egenumve non contristaverit,  
non oppresserit, ac per vim non ra-  
puerit? Justus non est, nisi qui omnia  
implet. Qui in uno deficit, factus est  
omnium reus. Sicut nullam in idolo-  
latria, nullam in adulterio, nullam in  
rapina limitationem Propheta consti-  
tuit; ita nullam in usura exceptionem  
ponit. Æquali modo omnia, quæ re-  
censet crimina, detestatur, supplicium-  
que fontibus minatur.

XIX. Postremum Propheta Eze-  
chiel cap. 22. hæc subdit. *Et factum  
est Verbum Domini ad me dicens. Et tu  
Fili hominis nonne judicas Civitatem san-  
guinum? Et ostendes ei omnes abominatio-  
nes suas... munera acceperunt apud te  
ad effundendum sanguinem, usuram, &  
superabundantiam accepisti, & avaræ  
proximos tuos calumniabaris, meique ob-  
lita es, ait Dominus Deus.*

XX. Adeo decretoria hæc sunt, ut  
vix habeant usurarum patroni quid re-  
ponant. Broedersen lib. 3. cap. 39. sibi  
semper constans in implicandis quæ  
luculenta sunt, respondet, textum Eze-  
chielis, intelligendum esse juxta legem  
Mosaicam. Neque enim, inquit, lex  
per Prophetas, sed Prophetæ per le-  
gem exponendi sunt. Quid (arguta-  
tur ille) legem ne Mosaicam muta-  
runt Prophetæ, aliamque invexerunt?  
Tempus designetur, quo mutata hæc  
lex fuit. Sic garrit, ineptitque homo  
iste. Ab eodem mutuatus est præfata  
commenta Italus Interpres.

XXI. Sancti Prophetæ non aliquam  
novam legem rogarunt, sed a Deo suæ  
legis Interpretes electi, & divino per-  
fusi lumine legem ipsam clarius, lucu-  
lentiùsque explicarunt. Si lex Mosaicæ  
conceptis verbis approbaret usuras a  
divitibus, a mercatoribus perceptas,  
solæque pauperum devoratrices impro-  
baret,

baret, tum petere *Broedersen* aliquo jure posset, novam ne legem invexerint Prophetæ. At cum nullibi Moyse adprobet usuras exactas a divitibus, immo in Deuteronomio absolute usuras improbet, & aliis in locis pauperum, exempli, non restrictionis causa, meminert; nimis temere *Broedersen* percunctatur, quandonam inventa lex hæc fuerit. Quis umquam tam futile commentum somniavit, quod Prophetæ non sint legis Mosaicæ divini Interpretes? Istorum luculentissima testimonia ad ambiguos Mosaicæ legis textus, si qui ambigui nobis sint, revocari debent? Digna hæc sunt tanto Interprete. Lex usuram vetans, naturalis, & divina est. Illius legitimi interpretes Prophetæ sancti.

## §. VII.

*Ad incitas redigitur Broedersen cum suo Italo Interprete. Hunc usuras moderatas defendere evidenter demonstratur.*

I. Quoties obscura est, vel ambigua divinatorum textuum intelligentia, unice confugiendum est ad Ecclesiæ auctoritatem. Si *Broedersen*, qui se Catholicum jactat, vel unicum Ecclesiæ Catholicæ Doctorem designare valet, qui ante Calvinum, Molinæum, Salmasium, cæterosque clare doceat, usuram moderatam, perceptam non a pauperibus, sed a mercatoribus licitam esse, tum illi assurgere volo, factisque submittere. Quid, quod omnes Theologi Catholici, continuo ac in lucem erupit novum Calvini, & Molinæi inventum, hæreseos unanimi consensu illud damnarunt? Hic fuit, estque universæ Ecclesiæ sensus. Quo factò ineluctabili posito, etiam si aliquam ambiguitatem præferrent Scripturæ sacræ textus, nonne eo in sensu intelligendi essent, quem unanimis Catholicorum consensus nobis exhibet? Quid, quod textus Scripturarum, non ambigui, non obscuri, sed luculenti sunt? Corruit ergo undique erroneus *Broe-*

*dersen* opinandi modus vi justæ ratiocinationis. Ut interim omittam, post editam Decretalem regnantis Pontificis Summi, controversiam finitam esse.

II. Sed ut erroneam etiam Authoris Itali, Interpretis *Nicolai Broedersen*, opinionem penitus evertam, præmittam oportet Concilii Tridentini sanctionem adversus novos divini Verbi interpretes. *Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum . . . . sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia . . . . aut etiam contra unanimem consensum Patrum Scripturam sacram interpretari audeat. Sess. 4.* Porro Author Italus non modo adversus unanimem Doctorum Catholicorum sensum Scripturam sanctam interpretatur; sed cum Scripturæ, tum Patrum doctrinam eludit, deridetque. Integro suo libro 1. *Dell'impiego del danaro* vanis commentis ostendere adnititur, usuras tantum mordentes, vel a pauperibus exactas improbari. Audiamus ejusdem interpretationem in hunc textum Deut. 23. *Non fenerabis fratri tuo ad usuram . . . . sed alieno.* Hæc sunt illius in hunc textum verba pag. 70. *E' manifesto, che a tutti' altri, almeno fuorchè a' Giudei, si potea dunque lecitamente prestare a usura. Ma non occorre dubitare, che s' intende d' USURA ONESTA, E MODERATA, ed alla quale nome di Usura in OGGI NON SI DAREBBE.* Audistin? Usura, quam exigi ab alienis Deus permisit, honesta erat, & moderata. Quid inde? Ergo licita. Quin nec usuræ nomen hodie (*IN OGGI*) subiret. Permisit Deus libellum repudii Judæis, cui hodie haud repudii, sed honestæ separationis nomen tribueretur, juxta opinandi modum novissimi Interpretis nostri.

III. Duæ sunt laudati textus interpretationes, quas ex Patribus Catholicis Doctores exhibent, ambasque contemnit, deridendasque propinat novus Theologus. Alteram præbet S. Ambrosius lib. de Tob. cap. 15. *Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech? nisi Amor-*

*rbæus,*

*rbæus, nisi hostes? Ibi, inquit, usuram exige: cui merito nocere desideras, cui jure inferuntur arma, huic legitime indicuntur usura. Cum bello non potes facile vincere, de hoc cito potes centesima vindicare te.* Loquatur nunc Interpretis *Broedersen*. „ In somma ecco indubitamente, come non quelle usure, „ che in brevissimo tempo desolavano, „ e distruggevano permise cogli estra- „ nei la divina legge; ma bensì le „ moderate, e proportionate . . . C'è „ chi risponde, non esser ciò permesso, se „ non con quelle genti, con le quali era „ no in guerra. Ma chi ha più inteso, „ che si vada a domandar danari a quel- „ li, co' quai s'guerreggia? Tamquam jocosam, ineptamque exhibet S. Ambrosii interpretationem.

IV. Altera interpretatio ex S. Thomæ 2. 2. q. 78. art. 1. ad 2. *Quod autem ab extraneis usuras acciperent, non fuit eis concessum quasi libitum, sed permissum ad majus malum vitandum, ut scilicet a Judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant, ut habetur Isaia 56.* Quid ad hæc Interpretis *Broedersianus*? En illius verba loc. cit. pag. 72. *Altri afferma non esser ciò permesso come cosa lecita, ma per la durezza di que' cuori: e per evitar un maggior male, cioè di angariar con le usure i propri fratelli, al che inclinavano per la lor grand' avarizia i Giudei. Ma come mai all' eterna Sapienza imputarsi ARDISCE d' aver ordinato, o permesso quel, che fosse intrinsecamente male? . . . Non è questo come dire, che Dio avesse permesso a Giudei di rubare a tutti gli altri, e di ammazzargli ancora, acciocchè non esercitassero la lor crudeltà, ed avarizia fra se medesimi? Bel ripiego per evitare i peccati sarebbe stato questo.* En quomodo novus in Theologia Magister audaciæ notam (*imputar si ardisce*) Doctrinæ S. Thomæ impingit. Quin effugium, seu artem declinandi, unaque perpetrandi crimina, responsum S. Thomæ appellat. Quando nam opportunius usurpari licuit Tridentinum Decretum? *Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ*

*prudentiæ innixus sacram Scripturam interpretari audeat.* Tantum impotens defendendæ usuræ libido suadere maiorum potuit! Doctorum Ecclesiæ Ambrosii, Thomæ, aliorumque Theologorum omnium deridentur, sibilanturque doctrinæ? Sed quod omnem fidem superat, ut lectoribus imponat, Ambrosium, & Thomam in suæ erroneæ sententiæ patrocinium advocare non erubescit, ut suo loco ostendetur.

V. Nunc demonstratione evidenti ostendo Authorem libri: *Dell'impiego del danaro* veras usuras propugnare, non obiter, sed integro primo libro.

*Prima Propositio.*

Omnes ad unum cum Catholici, tum Hæretici fatentur usuras, quas Deus exigi ab alienis permisit Judæis, esse suapte natura usuras, moderatas utique, minimeque devorantes. De hac prima propositione dubitatio nulla.

*Secunda Propositio.*

Has usuras moderatas licitas, honestasque integro primo libro demonstrare totis viribus contendit Author Italus; atque, ut id evincat, rejicit omnium Doctorum Catholicorum interpretationes, eisdemque inurit audaciæ & vanitatis censuras. Hæc propositio certa, & evidens est.

*Tertia Propositio.*

Ergo luce meridiana clarius pater, Authorem hunc veras usuras non obiter, sed ex instituto, & integro hoc primo libro propugnare. Duæ primæ propositiones evidentissimæ sunt. Tertia necessario consequitur. Quod ait, has usuras hodie (*in oggi*) non esse appellandas usuras, sed proventus honestos, non minuit, sed auget erroris gravitatem. Non est appellanda usura, quæ a Deo in Scriptura usura appellatur? Non ergo adulterium vocandum adulterium est? Fornicatio non est vocanda fornicatio? Nec miror Au-

thorem istum, repente Theologum factum, in hos lapsus errores: sed miror, Theologos reperiri aliquos, qui illi faveant. At hoc forte accidit, quod ejusdem doctrinæ sensa non sint probe affecuti. Perpendant illi serio, num alio integer primus liber spectet, nisi ut evincat, usuras moderatas, non a pauperibus, sed a divitibus exactas licitas esse, & a Deo probatas. Nemo, nisi qui ratione, & oculis careat, inficiari hoc potest.

## §. IX.

*Pauca de Hebræorum commercio.*

I. De Judæorum commercio unum, aut alterum verbum. Qui plura cupit, legat inter cæteros, modo licite possit, historiam Judæorum *Prideaux p. 1. lib. 1.* ubi describit immensos thesauros, qui ex Indiis, Persia, Africa, & Arabia Jerusalem ferebantur. Quid de negotiatione Tyrionum dicam? Mercaturæ Judaicæ mentio fit Geneleos cap. 49. ubi describitur Zabulon in littore maris habitans, & maritimæ negotiationi incumbens. Fœminæ fortis negotiatio cum Chananæo laudatur Prov. 31. De negotiatione etiam Salomonis cum Tyriis, sermo est 3. Reg. 5. Verum enimvero nusquam magis apud Judæos mercatura floruit, quam tempore Regis David, qui Idumæam occupavit, ubi portus Ailath, & Asiongaber aperti erant ad littus maris rubri. Inde navigiorum classes per varia loca emittebantur, quæ postea auro confertæ redibant, ut narratur 1. Par. 29. *Tria millia talenta de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes Templi.* Ezechiel tempore non modo agris colendis, verum etiam mercaturæ, & commercio opera dabatur, ut habetur cap. 27. *Juda, & terra Israel insitores tui in frumento primo, balsamum, & mel, & oleum, & resnam proposuerunt in nundinis tuis. Damascenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum..... Dedan insitores tui in tapetibus ad sedendam.*

*Arabia, & universi Principes Cedar ipsi negotiatores manus tue.... Venditores Saba, & Reema ipsi negotiatores tui..... Haran, & Chene, & Eden negotiatores tui. Saba, Assur, & Chelmad venditores tui.... Naves maris Principes tui in negotiatione, & repleta es, & glorificata nimis in corde maris..... Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos. In multitudine divitiarum tuarum, & populorum tuorum ditasti Reges terræ. Commertium ergo cum Tyriis tempore Ezechielis Judæi exercebant.*

II. Quibus positis, respondeant novi Politici, qui exaggerant, haud posse commercium, ablatis usuris, consistere. Tempore Davidis, Salomonis, Ezechielis mercatura, & commercia, tum terrestria, tum maritima florebant apud Judæos. David autem non modo necessariam ad exercenda commercia usuram non cognovit, verum e contrario illam ut iniquam reprobavit: questus est de Civitatis plateis non defecisse usuram, & dolum; eumque in Dei tabernaculo habiturum promisit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Salomon etiam Prov. 28. conquiriti divitias prohibuit usuris, & fenore. Quid ergo aures obtundunt novæ politicæ inventores, commercia florere haud posse, usura ablata? Sapientiores ne isti Salomone, Davide, Ezechiele? Nonne hæc sola luculenter evincunt, quam sint illorum commenta vana, inepta, ridicularia? Interpres Italus *Broedersen* scrutator est antiquitatis diligentissimus; & tamen negat Judæos mercaturæ operam navasse. Sed in hoc, ut modo vidimus, fallitur egregie.

## §. X.

*Queritur Deus per Ezechielem, quod Pastores Israel occultarent usurarum pravitatem Populo suo. Blandæ Pastorum opiniones populum divino supplicio non subdlexerunt.*

I. Sanctissimus Propheta Ezechiel usurarum enormitatem Dei spiritu actus popu-

populo Judæo ob oculos exposuit. A tanto scelere abducere avaram Gentem toto studio pertentavit. Verum Pastorum multitudo Doctrinæ divinæ severitatem deliniebat. Quam ob rem laudatus Propheta fere solus erat, qui ex adverso detonaret, omnique mundana ratione contempta, veritatem, semper humanis auribus infestam, viriliter prædicaret. Cæteri pauci Prophetæ multitudine in avaritiam manibus, pedibusque irruente perterrefacti, silebant. Contra Pastores, seu Animarum Rectores dulcia, & suavia promittebant; benigna interpretatione doctrinæ Ezechielis rigorem temperabant; afflictos populorum animos solabantur, & omnia prospera futura prædicebant. Ita testatur Propheta ipse Ezechiel illo capite xxxi. ubi post usuræ detestationem, hæc, quæ subijcio, scribit 2. v. 25. *Conjuratio Prophetarum in medio ejus, sicut Leo rugiens rapiensque prædam, animas devoraverunt, opes, & pretium acceperunt. Viduas ejus multiplicaverunt in medio illius. Sacerdotes ejus contempserunt Legem meam, & polluerunt sanctuaria mea.... Principes ejus in medio illius quasi lupi rapiens prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & avare sectanda lucra. Propheta autem ejus lineabant eos absque temperamento, videntes vana, & divinantes eis mendacium, dicentes: Hæc dicit Dominus Deus, cum Dominus non sit locutus.*

II. Quod subdit Deus per Ezechielem, majorem incutit terrorem. Tanta erat & populi, & Pastorum, seu Prophetarum, de quibus Ezechiel sermonem habet, prævaricatio, tanta divitiarum congregandarum sitis, ut virum Deus non invenerit, qui veritatem intrepide assereret, imminentemque vindictam averteret. Et quasi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam; ET NON INVENI. Vers. 3.

III. Sane Prophetæ, & Pastores blandis opinionibus parietes deauratos lineabant absque temperamento, securitatem populis spondebant, & pro eorum animabus vades se se benignissime

exhibebant. At numquid liberarunt eos a perditione? Subdlexerunt ne illos æterno supplicio? Minime. En divinam sententiam. *Et effudi super eos indignationem meam. In igne iræ meæ consumpsi eos: viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus. vers. 31.*

IV. Hæc ad Christi Jesu pedes, ejusque formidandum Judicium meditentur illi velim, qui a peccantium multitudinæ, ab universali consuetudine, seu turpi corruptela usuris patrociniis quærunt. Serio hæc illi recogitent, qui, sibi illudentes, Pastorum opinionationes, & Theologorum multitudinem, & autoritatem allégant, atque opponunt. Scripturarum cælestem doctrinam amplectantur. Viros Dei consulant, qui unanimi consensione in usuras investiti sunt. Recogitent, cupiditatem divitiarum omnium esse malorum radicem. Illam doctrinam sectentur, quæ huic cupiditati bellum indicit; quæ Mundum, & omnia, quæ Mundi sunt, contemnenda inclamat; quæ spiritum redolet Evangelicum. Illas vero habeant suspectas doctrinas, quæ cupiditati favent, & carni, videnturque eo unice spectare, ut quæ Mundi sunt, promoveant, & multitudini, quæ, CHRISTO JESU teste, latam, & spatiosam viam percurrat, indulgeant. Non te. Amice Lector, mellita eloquia dicentium, pax pax, ubi nulla est pax, seducant, ne te rapidissimus pravæ consuetudinis torrens abripiat. Ut vero cum paucis portum tenere salutis valeas, Ezechielem apertissime locutum audi, & meditare. Doctrinæ Evangelicæ spiritum, & medullam: animi perpetuam: terrenorum contemplationem, missis argutationibus, verborumque cavillis, animo recole. Hæc si feceris, ab usurarum voragine longius ambulabis, Hac de re unicum tibi Evangelicum textum propono §. sequenti.

## §. XI.

## §. XI.

## EX EVANGELIO LUCÆ cap. 6.

*Commenta Nicolai Broedersfen  
refelluntur.*

I. Veteris Testamenti leges adversus usuram latas, ad moralia præcepta pertinent universa Patrum traditio docet; quidquid in oppositum Calvinus, Molinæus, pluresque alii arguentur. Moralia autem præcepta, cum naturæ jura explicent, sublata cæremoniali lege consistunt, eaque Christus suo Evangelio confirmat. Integrum damus textum Lucæ. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores diligentes se diligunt: & si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hæc faciunt, & si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus scelerantur, ut recipiant equalia. Verumtamen diligite inimicos vestros, benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes; & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos.*

II. Quoniam Christus perficere, non abrogare legem Decalogi venit, ut præceptum septimum, quo usuræ vetantur, magis firmaret, altiisque in hominum cordibus figeret, a benevolentia exordium capit. Post beneficentiam commendat; ut quemadmodum Christiani cæteris omnibus gentibus præire benevolentia, ita & beneficentia se præstare aliis debere intelligant. Quippe non amicis modo, quod & Ethnici faciunt, sed inimicis benefacere imperat ad sui exemplum, qui solem super justos, & injustos oriri facit. Tandem jubet: *Verumtamen diligite inimicos vestros, & benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes.*

III. Duæ sunt inter alias de hoc textu Patrum, & Theologorum sententiæ. Nec tamen diversitas hæc præjudicium aliquod causæ infert. Illud quippe cer-

tum, exploratumque est, omnes tum Patres, tum Theologos, qui super hujus textu intelligentia in oppositas concedunt sententias, unanimi consensu propugnare, Christum in Evangelio legem adversus usuram confirmasse, atque perfecisse. Quod postea ex hoc textu aliqui id negent, adfirmantque communiter cæteri, ad id, quod controversiæ caput est, perinde se habent. Quare qui negant in Evangelio usuram vetari, turpissime errant, & universæ Ecclesiæ sensui contradicunt. Equidem operæ pretium non existimo ad trutinam hic revocare quænam ex duabus indicatis sententiis præferri debeat. Sed eo potius orationem convertam, ut evincam, JESU CHRISTI Evangelium evidentissime damnare usuram.

IV. Ut hoc demonstrarem, præmitto oraculum Christi Domini Matth. 5. v. 17. *Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* Deinde subdit v. 20. *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Phariseorum, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Quibus positis, hanc conficio argumentationem. Fatentur Adversarii, legem Mosaicam vetasse usuras, quidquid sit, an prohibitio omnes comprehenderet, an pauperes tantum. Atqui Christus legem non venit solvere sed adimplere, seu perficere. Ergo legem, usuram vetantem, perfecit. Clarius expono secundam propositionem. Unum, & alterum Mosaicæ legis caput; alterum scilicet, quo Moyses permiserat ad duritiam illius populi, nempe libellum repudii; alterum, quod Pharisei commenti fuerant, nempe odium internum inimicorum, Christus abrogavit, utrumque conceptis verbis exprimendo. Contra plura alia Doctrinæ capita enumerat, quæ ad majorem perfectionem evexit. Inter hæc vero illud de mutuo, *Mutuum date nihil inde sperantes*, clare ponit. Ergo legem adversus usuram Christus non abstulit, sed perfecit. Perfecit, inquit, consilium præbendo, abrogato præcepto. Papæ! Exquisita sane perfectio legis est, quæ, sublata

legis

lege, consilium substituit. Perfectio non destruit, sed ad meliorem statum evahit quod perficit. Abundaret ne plusquam Scribarum, & Phariseorum justitia Christianorum, si hi liberi essent in usuris exigendis, secus illi. Tangi aliquo rubore Adversarii deberent, si tam inepto ratiocinio uterentur. Paucis comprehendo sublimem Christianæ legis perfectionem, & præceptum. Fœnerantur hominibus fœneratores, Christianus sine fœnore mutuum dabit. Gratificantur peccatores peccatoribus, ut equalia recipiant. Christianus neque Beneficii vicein, neque mutui sortem interdum expectabit. Amici benefaciunt Amicis. Christianus vel in ipsos inimicos beneficentiæ munera effundat. Hoc pacto juxta Evangelicæ perfectionis exemplar & fœneratorum iniquitatem declinabit, & insitam a natura humanitatem superabit, & vel communi ipsa Amicorum officia excedet. Tria sperare quis ex mutuo potest, usuram, gratiam, & sortem. Suadet Christus mutui officium, quin nec gratiam, nec sortem interdum recipiamus. Prohibet autem, ne ex mutuo lucrum aut exigamus, aut speremus. Qui enim spe recipiendi beneficii mutuatur, inhumanus est. Qui tandem spe lucri pecuniam alteri credit, injustus est fœnerator.

V. Oppositam doctrinam post Calvinum commentus est Molinæus tract. de usur. num. 11. *Non est igitur verum, sed erroneum, & superstitiosum, quod illi hæctenus scripserunt, & docuerunt, quamlibet usuram, aut fœnus, seu quidquid omnino commodi, ob mutuam pecuniam creditor recipiat, a lege divina damnari: quia immo non damnatur usura, nisi quæ fraudi proximo est, ipsamque prægradat.* Non obstat universalis illa negativa Luc. 6. nihil inde sperantes: quia illic Christus non de usura, sed de restitutione sortis, vel repensione equalis beneficii loquitur. Peregrinæ. Mutuari nos Christus vult, etiam absque spe sortis recuperandæ, aut beneficii recipiendi, simulque usuras exigere concedit? Lepida sane commenta. Omnium Patrum Au-

thoritates adferre hic possem. Omnes utriusque Testamenti verbis usi sunt, ut usuram damnatam evincerent. Omnes clamant, Christum ad mutuum dandum, etiam sine spe, aut similis gratiæ recipiendæ, aut sortis recuperandæ nos exhortari. Ergo extremæ dementiæ est, asserere Christum concessisse lucrum aut exigere, aut sperare ex mutuo.

VI. Argumenti efficacitatem confessus est vel ipse Salmasius Lib. de usur. cap. 20. *Hæc Domini verba jugulum usuræ petere non nemo ex veteribus Patribus, & ex recentibus Theologis existimavit. Tertullianus inter antiquiores, ne alios nominem, in hac fuit sententia. Vitam usuram Hebræis fuisse, Christum autem ne de crediti quidem summa suos esse voluisse sollicitos, cum crederent. Præceptum Mosaicum de usura non accipiendum præludium quasi fuisse voluntatis Dominicæ de sorte perdenda, qui jusserit etiam dari mutuum his, a quibus nihil se recepturos sperarent &c. Basilius porro inter Græcos Domini sermonem in Matthæo contra usuram facere interpretatus est, & componit eum cum Præcepto Mosaico, ut doceat, tam veteri lege, quam nova usuras prohiberi &c. Certe ut apud Lucam concepta sunt Dominici præcepti verba, longe etiam magis usurarum latus transverberant. Nam qui de perdenda crediti summa laborare vetatur, quis credit ei concedi pactiones pro credito usurarias facere? Longe est ab eo, qui nihil speraturus de sorte etiam egentissimis credere jubetur, ut ultro paciscatur aliquod ultra sortem sibi reddi, de qua melius, & præcepto convenientius periclitaretur. Illud quidem certum est, Dominum non de alio mutuo loqui, quam quod Judæis permissum lege fuit Judæo daturis mutuum. Cui præcepto ad pleniorum disciplinæ perfectionem hoc de suo velut auctarium mensuræ addidit, ut etiam non reddituris mutuum credatur; quomodo & aliis firmandis, ut districtior eorum esset observatio, majori ex severitate constrinxit. Etenim qui in difficiliorebus regulam tenet, in faciliorebus rarius excidit. Qui potest libenter, mutuo quod dedit, perdere, dum*